



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

9. An licitum sit sepelire hæreticos notorios, non tamen denunciatos in loco sacro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ARTICULUS IX.

*An licitum sit sepelire hæreticos notorios
non tamen denunciatos, in
loco sacro.*

DIversa sunt decreta in jure Canonico prohibentia sepulturam hæreticorum in loco sacro, sive Ecclesiasticâ sepulturâ. Sic expressè habetur Clement. 1. de sepulturis, & c. *Sacris* de sepulturis, ubi sic dicitur: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui prius erant ab Ecclesiasticâ unitate præcisi.* Quibus si addatur extravag. Martini V. *ad evitanda*, clarè infertur quòd sepultura Ecclesiastica neganda non sit hæreticis etiam notoriis, dummodo non sint nominatim excommunicati seu denunciati; hoc in primis colligitur ex Clement. I. & ex c. *Sacris* jam relatis; ubi ratio negandi sepulturam ponitur *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Ac proinde bene sequitur, quod illis communicare possimus defunctis, quibus communicare potuimus vivis: cum igitur hoc concedatur per Bullam *ad evitanda*, etiam primum erit licitum, sepeliendo hæreticos

hæreti
siastica

An lo

QU

ex c. c
materia
sepeliri
men p
non al
Et sic
ad 4
sepultu
officia
illa, q
debem
dictum
cum h
Excom
etiam
tiati. H
tract. s
Conin

hæreticos non denuntiatos in sepultura Ecclesiastica, seu in loco Sacro.

ARTICULUS X.

An locus Sacer violetur per sepulturam hæretici non denuntiat.

QUòd per sepulturam hæreticorum locus sacer violetur seu polluetur, colligitur ex c. *consulvisti* de Consecr. ubi dicitur: *Cemiteria in quibus Excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt.* Quod tamen post decretum seu extravag. Martini V. non aliter intelligi debet quàm de denuntiat. Et sic tenet Navar. lib. 5. de Hæret. consil. 10. ad 4 ubi ait: Ratio quare per Excommunicari sepulturam Ecclesia excretur, & Missa & alia officia divina publicè ibi non debeant fieri, est illa, quod cui non communicamus vivo, non debemus communicare mortuo, ut habet prædictum c. *Sacris*, quæ ratio cum non habeat locum hodie per extravag. *ad evitanda*, nisi in Excommunicatis denuntiat, non habebit etiam locum in sepultura hæretici non denuntiat. Hæc Navar. Idem sentiunt Layman lib. 5. tract. 5. c. 5. n. v. ubi citat Victoria, Suarez, Coninck & alios.

ARTI-